

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1257

**Auteur(s) :** Roger Bonnet de Douvres [clerc]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1261, août

**Lieu d'émission :** Douvres

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Roger dit Bonnet, clerc, vend, pour 14 livres tournois, au doyen et au chapitre de Bayeux une rente annuelle de 3 setiers de froment sur un pourpris qu'il tient d'eux à Douvres.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXXII, t. 2, p. 221-222.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentis et futuri quod ego Rogerus dictus Bonnet, de Dobra, clericus, vendidi et concessi decano et capitulo Baiocensi tres sextarios frumenti annui redditus, ad mensuram de Dobra, pro quatuordecim libris Turonensibus michi solutis ab eisdem, de quibus ego me teneo pro pagato, percipiendos et habendos videlicet dictos tres sextarios frumenti dictis capitulo et decano, vel ei cui eundem annum redditum habere vel percipere concesserint, in quodam porprisio meo de meo tenemento quod ab ipsis decano et capitulo teneo : quod porprisium situm est apud Dobram, in Frigido Vico, inter masuagium Willelmi de Sancto Germano, ex una parte, et masuagium Johannis dicti Le Bonnet, fratris mei, ex altera, libere et quiete, absque reclamacione et contradicione mei et hæredum meorum : ita siquidem quod ego et hæredes mei nichilominus tenemur et debemus reddere dictis decano et capitulo annuatim, pro residuo dicti tenementi mei quod ab ipsis teneo, totum redditum quem, ante hanc venditionem et concessionem trium sextariorum frumenti, reddebamus eisdem seu reddere tenebamur. Et si dictum porprisium dictos tres sextarios frumenti annuatim non valuerit, dicti decanus et capitulum illud residuum dictorum trium sextariorum frumenti, in residuo dicti tenementi mei quod ab ipsis teneo, percipient et habebunt, seu etiam ille cui percipiendum concesserint redditum supradictum, supra quæ porprisium et tenementum poterint plenariam justiciam exercere pro redditu antedicto. Et ego siquidem et mei hæredes tenemur et debemus dictos tres sextarios frumenti annui redditus, in dictis porprisio et tenemento, dictis decano et capitulo, seu cuicumque habere concesserint, garantizare, deliberare atque defendere contra omnes, et excambiare alibi, si necesse fuerit, competenter. Quod ut firmum et stabile in perpetuum teneatur, præsentem cartam spontanea voluntate sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, mense augusti, coram parrochia Sancti Remigii de Dobra.